quia et arbores dexterè ſcandit altiſſimas;
tympana ſcitè pulſat, ſed imprimis Choragum
adeò egregium ſe oſtendit, ut tibiarum delinitus
modulatione, inque poſteriores erectus pedes, admi-
randa lenitate choreas ducat, pedibus verò
anterioribus vice manuum geſtus chironomiæ motusque
edat, iamque graui modeſtia ingrediatur, iam præ-
euntis pedes paſſibus æquis inſequatur, iam hilari
paſſu, iam tum grauiori incedendo, collega ſaltus conci-
piat; iam cum eodem pariter in gyrum voluatur; tum
noua facilitate choream redintegret, et vibrato
ſurſum corpore, pedibusque micantibus ad numeros
ſaltatorios motus edat, adeò eleganter, ut equis
Sybariticis ſua docilitate inuidiam, admirationem
ſuâ arte mouere, ac ſtupentibus abreptisque tantâ
illius indole ſpectaculum exhibere poſſit; denique
tam ſcitè variatos tibiæ modos, aut editos tympa-
ni, et buccinarum numeros æquali ſaltu concipit
redditque, vel inſequitur graui inceſſu, aut læto
tripudio exprimit, ut ſi alter choragus urſinâ
etiam pelle laruatus incederet ignoranti dolum, dif-
ficile eſſet iudicare, an duæ beſtiæ humanam naturam
induiſſent, an verò, ut feſtiuo ſe oculi paſcerent
ſpectaculo, duo homines ſub beſtiarum exuuijs